

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De influxu dogmatis reformatorum de sacra coena in
praxin fidei et pietatis, quanto et quali?**

**Pfaff, Christoph Matthaeus
Hochstetter, Gottfried Ulrich**

Tubingae, 1720

Thesis VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130755](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130755)

Theſis V.

Quòd Reformati præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in ſacrâ cœnâ negant eamque verbis institutionis contrariam eſſe aſſerunt, non ex malitioſo quodam affectu, quo in Dei verbum involare cupiunt, fit, ſed eapropter, quòd credunt, ex præſentiâ iſtâ manare abſurda, contradictoria, Deo indigniſſima & quæ religionem Chriſtianam ſuſpectam hominibus reddere poſſint*, quòd credunt porrò, interpretationem ſuam genio & indoli linguæ ſanctæ ſenſuique communi congruam eſſe, id quod de noſtrâ ſententiâ dici haud poſſit. Putant itaque, ſe peccaturos, ſi aliam ſibi mentem hîc induerent.

* Has tamen conſequentias certè ſapientiores nobis vix amplius imputaverint, non ſolùm, quoniam eas haud agnoſcimus, ſed etiam, quòd ex ſententiâ noſtrâ nonniſi malè intellectâ profluunt.

Theſis VI.

Nemo noſtrùm eſt, qui non exiſtimaverit, graviſſimè illum hallucinaturum eſſe, qui proprietatem literæ eouſque urgere haud dubitaverit, ut præſentiam Corporis Chriſti in ſacrâ Cœnâ localem,

B 3

phy-

physicam, naturalem, definitivam *, carnalem, cras-
 sam & Capernaiticam manducationemque itidem
 naturalem statuerit. Et quid est, quæso, quod illi ob-
 verteremus? Diceremus, hujusmodi sententiam con-
 tra testimonium sensuum, contra sensum commu-
 nem, contra sanam rationem vergere & corpore
 Christi indignam esse, manducationem hujusmodi
 maximum peccatum, maximum horrorem secum
 vecturam, & quæ alia sunt. Et verò ejusmodi præ-
 sentiam nos credere Reformati putant, qui aliàs eam
 rejecturi non essent. Itaque nolimus, nolimus eos ac-
 cusare, ac si malitiosè heic in verba institutionis invo-
 larent, rationi suæ pravæ dominium in res fidei per-
 mitterent & dona Novi Testamenti fidelibus eripe-
 rent. Certè, qui naturalem & carnalem Corporis
 Christi in Eucharistiâ præsentiam, quam omnes &
 optimo quidem jure uno ore rejicimus, statueret, eis-
 dem, quibus nos contra Reformatos pugnamus, armis
 contra dissentientes agere iisdemque errorem heic
 fundamentalem itidem impingere ac ad propieta-
 tem literæ majori jure, ac nos, provocare posset **.
 Nos enim proprietati literæ non *in totum*, sed sal-
 tem *in tantum* insistere, res ipsa loquitur & clamat.
 Imò

Imò ne quidem Romanenses, licet transsubstantiationem statuunt, proprietati literæ insistant, nec ullus est vel fuit unquam in toto mundo hæreticus, qui naturalem corporis Christi in sacrâ Cœnâ præsentiam & manducationem crediderit & proprietatem literæ eousque urserit. Ratio, QUIA CONTRA EJUSMODI SENTENTIAM SANA RATIO ET SENSUS COMMUNIS, quem utique religio exulare heic haud jubet, RECALCITRAT.

* Hinc dici utique certo modo potest, *corpus Christi tantum abesse à nobis, quantum cælum distat à terrâ*, præsentia nempe naturali, definitivâ & visibili, id quod omnes largiuntur. Ast simpliciter positam *φράσιν* istam Formula concordia p. 726. & quidem rectè improbat.

** Qui enim proprietatem literæ *ex toto* heic sequi cupit, is statuere necessum habet, in S. Cœnâ corpus Christi naturale & visibile absque pane physicè adesse & ore corporis naturaliter manducari. Atqui hoc statuere longè absurdissimum est.

Thesis VII.

Non est, non est, quòd hîc prolixius urgeamus id, quod dudùm diximus, litem de præsentia corporis Christi Eucharisticâ inter nos & Reformatos in nudam *λογμαχίαν* abire, cùm tùm in dissertatione
fe-